

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4724

Auteur(s) : Innocent III [pape]

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1208, 28 octobre

Lieu d'émission : Ferentino

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Innocent III enjoint à l'archevêque de Rouen et à ses suffragants de défendre, sous peine d'excommunication, la levée des dîmes sur les terres cultivées par les religieux de Bonport.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° XLIII, p. 44-46.

Texte établi d'après a

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Rothomagensi archiepiscopo et suffraganeis ejus, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, et aliis ecclesiarum prelati in Rothomagensi provincia constituti, salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus et, audientes, mirati sumus quod cum dilectis filiis abbati et conventui de Bono Portu, Cisterciensis ordinis, a prioribus et predecessibus nostris concessum sit, et a nobis ipsis post modum indultum et eciam confirmatum, ut, de laboribus quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, nemini decimas solvere teneantur, quidam ab eis nichilominus, contra apostolice sedis indulgencias, decimas exigere et extorquere presumunt, et, prava ac sinistra interpretatione, apostolicorum privilegiorum capitulum pervertentes, asserunt de novalibus debere intelligi, ubi noscitur de laboribus esse scriptum. Quoniam igitur manifestum est omnibus qui recte sapiunt interpretationem hujusmodi perversam esse et intellectui sano contrariam, cum secundum capitulum illud a solutione decimarum, tam de terris illis quas deduxerunt vel deducunt ad cultum, quam de terris eciam cultis quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, liberi sint penitus et immunes, ne ullus contra eos materiam habeat malignandi, universitati vestre, per apostolica scripta, precipiendo mandamus quatinus omnibus parochianis vestris auctoritate apostolica prohibere curetis, ne a memoratis fratribus de novaliis vel de aliis terris, quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium ullatenus decimas presumant exigere vel quomodolibet extorquere. Quia vero non est conveniens vel honestum ut contra apostolice sedis indulgencias temere veniatur, que obtinere debent inviolabilem firmitatem, mandamus vobis firmiterque precipimus ut si qui monachi, canonici, clerici vel laici, contra privilegia sedis apostolice memoratos fratres super decimarum exactione gravaverint, laicos excommunicationis sententia percipientes, monachos, canonicos sive clericos, contradictione, dilatione et appellatione cessante, ab officio suspendatis, et tam excommunicationis quam suspensionis sententiam faciatis usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari.

Adhec, presentium vobis auctoritate, precipimus quatinus si quis eorumdem parrochianorum vestrorum in sepe dictos fratres violentas manus injecerit, eum, accensis candelis, excommunicatum publice nuncietis, et tanquam excommunicatum faciatis, ab omnibus cautius evitari, donec eisdem fratribus congrue satisfaciat, et cum litteris diocesani episcopi rei veritatem continentibus apostolico se conspectui representet.
Datum Ferentini, v kalendas novembris, pontificatus nostri anno undecimo.